

§. XIII. Pertinent itaque ad istum damnationis æternæ prægustum, quæ alias de Conscientia mala, ejusque moribus, flagellis, lancinatione, tormentis traduntur. Mala enim illa conscientia, quæ a quibusdam *damnians* dicitur, ut distinguitur ab *bebetata*, (quæ cessat dictare, quod rectum est, itemque ab *erro-nea*, quæ dictat aut quidem judicat, sed non recte) reddit hominem *αυτοκατάκριτον*, juxta *Ep. ad Tit. III, 11.* & spectat huc illa *κατάγνωσις τῆς καρδίας*, *condemnatio cordis* nostri, cujus Johannes 1. *Epist. III, 25.* mentionem fecit, & h. l. §. VIII. de ea actum est. Sed nunc porro notandum, quomodo cum mala conscientia, quæ formaliter ad intellectum pertinet, motus aliqui & inquietudo sive anxietas voluntatis conjungantur; ut, ubi alii in mediis turbis & calamitatibus externis tranquille degunt, ipsi, quibus malorum conscia mens est, vel in ipsa pace variis agitentur furiis, & sit *afflictio & angustia* (*συνωχῶσις*, qua laborantes, vel ut angusto inclusi spatio locove incommodo, nesciunt, quorsum se conferant, aut ad inopiam consilii rediguntur, & angorem aut contractionem animi sentiunt,) *adversus animam hominis perpetrantis malum*; juxta verba Pauli *Rom. II, 9.*

§. XIV. Ac statum quidem illum etiam graphice depingit *Bernhardus* *Medit. I. Cap. XIII. p. m. 1060.* *In domo propria, ait, & a propria familia habeo accusatores, testes, judices & tortores. Accusat me conscientia: testis est memoria: ratio Judex: voluptas carcer; timor tortor; oblectamentum tormentum. Quotquot enim fuerunt oblectamenta mala, tot erunt tormenta dira in pœna. Nam inde punimur, unde delectamur.* Et lib. de *Consc. ad quendam ordinis Cisterciensis cap. IX. p. m. III.* *Conscientia mala contristat animam, eamque DEO exhibet immundam, Angelis & hominibus fœdam & sibi ipsi turbatam & inquietam. Nulla enim pœna major est mala conscientia. Omnium siquidem delictorum nostrorum ipsa testis, ipsa Judex: ipsa tortor, ipsa carcer, ipsa accusat, ipsa judicat, ipsa punit, ipsa damnat.* Lutherus quoque in *Trost. Brieff ad Lipsienses Confessores* inquit *Tom. VI. Altenb. fol. II. sub finem: Leid über alles Leid ist das Herzeleid!*